

Omelia XXXVI. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.128va-130vb)

Et factum est cum finisset ihesus precipiens duodecim discipulis, transiuit inde gratia docendi et predicandi in ciuitatibus eorum.

Commented [ND1]: [fol.128va]

Commented [ND2]: loquens add. super lin.

Quia enim eo misit, subtraxit seipsum, dans locum eis et tempus facere quae iniunxit. Non enim utique eo presente et curante uellet aliquis ad illos ire. Audiens autem iohannes in carcere opera ihesu, mittens duos discipulorum interrogabat eum dicens. Tu es qui uenis, uel alium expectamus? Lucas autem ait quoniam et ipsi annuntiauerunt signa iohanni, et tunc misit eos. Verumtamen hoc nullam aporiam id est questionem habet, sed contemplationem solum, zelotipiam enim eorum quae erat ad ipsum, et hoc ostendit. Quod autem deinceps est, ualde est querendum. Quale utique est hoc, id est dicere, tu es qui uenis, uel alium expectamus? Qui enim ante signa nouit eum, qui a spiritu didicit, qui a patre audiuit, qui ad omnes diuulgauit, nunc mittit ab ipso sciturus siue ipse fuerit, siue non? quamuis si non nouisti quoniam ipse est manifeste, qualiter eum dignum fide esse estimas, enuntians pro his quae ignorantur? Cum enim qui aliis testatus est, prius eum dignum fide esse oportet. Nonne tu dixisti non sum sufficiens soluere eius corrigiam calciamenti? Non tu dixisti quoniam non noueram eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille michi dixit, super quem utique uideris spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto? Non uidisti spiritum in specie columbae, nonne uocem audisti? nonne prohibebas eum dicens, ego opus habeo a te baptizari? nonne et discipulis dixisti, illum oportet augeri, me autem minui? nonne plebem docebas uniuersam, quoniam ipse eos baptizabit in spiritu sancto et igne, et quoniam ipse est agnus dei, qui leuat peccatum mundi? nonne ante signa et miracula, haec omnia diuulgasti? Vbi igitur nunc quando manifestus omnibus factus est, et ubique pertransiuit eius fama, et mortui suscitati sunt, et demones ab acti, et tantorum signorum ostensio facta est, tunc mittis discens ab ipso? quid utique factum est? deceptio quedam erant omnia illa uerba? scena et fabulae. Et quis utique haec intellectum habens diceret, non dico iohannes qui in matrice saltauit, qui ante pressuram eum diuulgauit, qui heremi fuit ciuis, qui angelicam ostendit urbanitatem, sed etsi multorum unus esset, et ualde abiectorum, non utique post tantas testationes, et quae ab ipso, et quae ab aliis sunt, dubitasset. Vnde manifestum quoniam neque ipse titubans mittebat, neque ignorans interrogabat. Neque enim illud utique haberet aliquis dicere, quoniam nouerat quidem manifeste propter carcerem autem timidior factus est. Neque enim eripi hinc expectabat, neque si expectaret, traderet utique pietatem, qui ante mortem erat preparatus. Neque si non ad hoc esset preparatus, ad plebem integram sanguines meditantem effundere propheticos, tantam utique ostendisset fortitudinem. Non utique crudelem tyrannum illum, cum tanta utique redarguisset libera propalatione in media ciuitate et foro, uelut puerum paruulum ualde increpans audientibus multis. Si autem et timidior factus est, qualiter ob discipulos suos non uerecundabatur, in quibus ei tanta testatus est? sed per ipsos interrogabat, debens per alios interrogare, quamuis nouerat manifeste, quoniam zelotipiam habebant de ipso, et captionem quandam cupiebant inuenire. Qualiter autem ob plebem iudaicam non erubescerat, in qua tanta predicauit. Quid autem et ad ereptionem ei uinculorum hinc plus factum est? Neque enim propter christum erat missus in carcerem, neque quia predicauerat eius uirtutem, sed propter redargutionem quae erat in iniquis

Commented [ND3]: [fol.128vb]

Commented [ND4]: credi add. super lin.

Commented [ND5]: credi add. super lin.

Commented [ND6]: partum add. super lin.

Commented [ND7]: ydiotarum add. super lin.

Commented [ND8]: [fol.129ra]

Commented [ND9]: et ideo negauit add. super lin.

Commented [ND10]: uel ereptum iri add. super lin.

Commented [ND11]: uel proderet add. super lin.

Commented [ND12]: uel ueritatem add. super lin.

Commented [ND13]: uel carcerem add. super lin.

Commented [ND14]: expeditus mori add. super lin.

Commented [ND15]: uniuersam add. super lin.

Commented [ND16]: genimina uiperarum uocans add. super lin.

Commented [ND17]: uel occasionem add. super lin.

nuptiis. Qualis autem pueri a mentis, cuius autem hominis insani, non utique sibiipsi doxam, id est opinionem circumposuisset? Quid igitur est quod instruitur? quoniam enim non est iohannis dubitare de his, sed neque cuiuslibet, neque ualde amentis et insani, ex his quae dicta sunt manifestum est. Oportet autem iam solutionem inducere. Cuius igitur gratia misit interrogans? Resiliebant a ihesu, iohannis discipuli, et hoc omni ubique homini manifestum est, et zelotipae semper ad ipsum habebant, et manifestum ex his quae ad magistrum dicebant. Qui enim erat inquit tecum ultra iordanem, cui tu testatus es, ecce hic baptizat, et omnes uadunt ad ipsum, et rursus questio facta est discipulorum iohannis, cum iudeis de purgatione. Et ipsi rursus accedentes dixerunt, propter quid nos et pharisei ieiunamus multum, discipuli autem tui non ieiunant? Nondum enim nouerant quis erat christus, sed hunc quidem hominem nudum suspicantes, iohannem autem maiorem quam secundum hominem, dolebant bene prosperantem hunc uidentes. Illum autem sicut dixit iam quiescentem. Et hoc eos prohibuit accedere, zelotipia refragante accessum. Donec igitur iohannes erat cum ipsis, rogabat continue et docebat, et neque ita suadebat. Quia autem iam erat obiturus, amplius facit studium. Etenim formidabat, ne relinquat perniciosi dogmatis conditionem, et maneant abiecti a christo. Ipse enim studuit, et in principio afferre ei suos uniuersos. Quia autem non suadebat, deficiens iam amplius facit desiderium. Si igitur dixisset abite ad ipsum, ipse me melior est, non utique suasisset inseparabiliter habentes, sed et estimaretur moderata sentiens, haec dicere, et magis utique ipsi affixi essent. Si autem siluisset rursus, nichil amplius fieret. Quid igitur facit? Expectat ab ipsis audire, quoniam miracula operatur. Et neque ita eos ammonet, neque omnes mittit, sed duos quosdam quos nouerat fortassis aliis facile persuasibiliores existentes, ut insuspicabilis interrogatio fieret, ut ex rebus ipsis dicerent medium ihesu et illius, et ait abite et dicite, tu es christus, uel alium expectamus? christus autem consilium noscens iohannis, non dixit quoniam ego sum. Rursus enim utique obsisteret hoc audientibus. Quamuis hoc consequens erat dicere, sed a rebus ipsis eos dimittit discere. Dicit enim quoniam his aduenientibus ei, tunc curauit multos, quamuis qualis consequentia erat interrogatum, tu es, ad hic quidem nichil dicere, curare autem confestim eos qui male habebant, si non hoc uolebat instruere quod dixi ego? Etenim testimonium quod est a rebus ipsis credibilis et magis insuspicabile esse estimabant, testimonio quod est a uerbis. Sciens itaque ceu deus existens, mentem cum qua eos misit iohannes, confestim curauit, caecos, claudos, et alios multos, non illum docens, qualiter enim eum qui persuasus erat? sed hos qui dubitabant, et curans ait, euntes annuntiate iohanni, quae audistis et uidistis, caeci respiciunt et claudi ambulant, leprosi mundantur, et surdi audiunt, mortui suscitantur, et pauperes euangelizantur, et adiecit, et beatus siquis non scandalizatus fuerit in me. Ostendens quoniam et ineffabilia eorum nouit. Si enim dixisset quoniam ego sum, et obstitisset, utique quod dixi, hoc eis, et excogitassent utique, etsi non dixissent, quod uideri ad ipsum dixerunt, tu de teipso testaris? propter hoc ipse quidem non dicit hoc, a miraculis autem ipsis, dimittit eos omnia discere, insuspicabilem doctrinam faciens et manifestiorem. Propter hoc et redargutionem eorum latenter induxit. Quia enim scandalizabantur in ipso, passionem eorum diulgans, et conscientiae eorum soli hoc derelinquens, et nullum testem accusationis huius faciens, quam solos eos illos qui haec sciebant, plus eos et ita euulsit dicens, beatus, siquis non scandalizatus fuerit in me. Etenim ipse enigmatace insinuans haec dixit. Vt autem non quae a nobis dicta sunt solum, sed et quae ab aliis dicuntur ponentes in medium, manifestiorem uobis ex comparatione eorum quae dicuntur, faciamus ueritatem, necessarium est et illa dicere. Quid igitur? aiunt quidam, quoniam non haec est causa quae a nobis dicta est, sed ignorabat iohannes. Ignorabat autem non totum, sed quoniam ipse erat christus, nouerat. Si autem et pro hominibus erat obiturus, non nouerat. Propter hoc dixit, tu es qui uenis, hoc est in infernum descensusus?

Commented [ND18]: uel secedebant *add. super lin.*

Commented [ND19]: inuidiose *add. super lin.*

Commented [ND20]: eorum *add. super lin.*

Commented [ND21]: [fol.129rb]

Commented [ND22]: uel morsum accipiebant *add. super lin.*

Commented [ND23]: cessantem *add. super lin.*

Commented [ND24]: ad christum *add. super lin.*

Commented [ND25]: materiam *add. super lin.*

Commented [ND26]: moriens *add. super lin.*

Commented [ND27]: uel fiebat *add. super lin.*

Commented [ND28]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND29]: uel scientem *add. super lin.*

Commented [ND30]: [fol.129va]

Commented [ND31]: occulta *add. super lin.*

Commented [ND32]: dubitati *add. super lin.*

Commented [ND33]: attraxit *add. super lin.*

sed non utique habet hoc rationem. Iohannes enim neque hoc ignorabat. Haec denique et ante alia predicabat, et primum hoc testatus est. Vide enim ait, agnus dei, qui leuat peccatum mundi. Agnum enim uocauit, crucem diuulgans, et dicere iude qui leuat peccatum mundi, hoc idem significauit. Non enim aliter quam per crucem, hoc operatus est. Quod et paulus dixit, et cyrographum quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens id cruci, sed et dicere in spiritu baptizabit uos, prophetantis erat, quae sunt post resurrectionem. Sed quoniam quidem resurget, nouerat, et dabit spiritum sanctum. Quoniam autem et crucifigetur, non nouerat? qualiter igitur erat resurrecturus, qui non passus neque crucifixus est? Qualiter autem maior propheta hic, qui neque quae prophetarum sunt noscit? quoniam enim maior propheta erat, et ipse christus testatus est, quoniam autem prophetae passionem eius nouerant, omnibus est manifestum. Etenim esaias ait, ut ouis ad occisionem ductus est, et sicut agnus coram tondente eum obmutescit. Sed et ante hoc testimonium, ait. Erit radix iesse, et qui exurgit principari gentium, in ipso gentes sperabunt. Deinde passionem eius dicens, et gloriam eius introduxit, et erit requies eius honor. Non solum autem quoniam crucifigetur predixit hic, sed et cum quibus. Etenim et in iniquis reputatus est ait. Et neque hoc solum, sed quoniam neque respondebit. Hic enim ait, non aperiet os suum, et quoniam iniuste condepnabitur, in humilitate sua ait, iudicium eius leuatum est, sed et ante hoc dauid, et hoc dicit, et iudicium subscribit. Vt quid enim ait, fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terrae et principes congregati sunt in idem, aduersus dominum, et aduersus christum eius? Alio autem et typum crucis dicit, ita dicens, foderunt manus meas et pedes meos. Et quae a militibus ausa sunt, adicit cum multa diligentia. Partiti sunt enim ait uestimenta mea, et in uestem meam miserunt sortem. Alio autem quoniam et acetum attulerunt ei, dixit. Dederunt enim ait in escam meam fel, et insiti mea potauerunt me aceto. Deinde propheta quidem ante tanta tempora, et iudicium, et condempnationem, et eos qui crucifixi sunt cum eo dicunt, et uestimentorum diuisionem, et sortem que est in ipsis, et multo ampliora alia, neque enim omnia necessarium apponere nunc, ut non longum faciamus sermonem, hic autem qui maior est illis uniuersis, uniuersa haec ignorabat? et qualiter utique haberet rationem? Cuius autem gratia non dixit, tu es qui uenis in infernum, sed simpliciter qui uenis? quamuis multo derisibilis isto, illud utique esset? inquit enim propter hoc dixit, ut et illuc abiens predicet. Ad quos oportunum est dicere, fratres ne pueri efficiamini mente, sed malitia paruuli sitis. Presens enim uita urbanitatis est tempus. Post obitum autem iudicium est et pena. In inferno enim ait, quis confitebitur tibi? Qualiter igitur contrite sunt portae aeneae, et uectes confracti sunt, per corpus eius. Tunc enim primum monstratum est corpus immortale, et dissoluens mortis tyrannidem, sed aliter hoc mortis monstrat uirtutem destructam. Non eorum qui ante presentiam eius obierunt, peccata sunt dissoluta. Si autem non hoc aiunt, sed anteriores uniuersos eruit a gehenna, qualiter ait, tolerabilis erit terrae sodomorum et gomorreorum? hoc enim sicut et illis puniendis dictum est, mansuetius quidem, sed tamen puniendis, quamuis et uindictam hic dederunt ultimam. Sed tamen neque hoc eos eripiet. Si autem non hos, multo magis neque eos qui nichil passi sunt. Quid igitur iniusta passi sunt ait, qui ante presentiam eius fuerunt? Nequaquam. Possibile enim erat, et non confitentis christum tunc saluari. Non enim hoc expetebatur ab ipsis, sed non idola colere, et uerum deum scire. Dominus enim ait, qui deus tuus est, dominus unus est. Propter hoc et machabei in ammiratione erant, quoniam pro legis custodia, passi sunt quae passi sunt, sed et tres pueri, et alii multi qui apud iudeos uitam perfectam ostenderunt, et mansuram cognitionis huius obseruauerunt, nichil expetiti sunt amplius. Tunc enim sufficebat ad salutem sicut dixi, deum scire solum, nunc autem non adhuc, sed opus est et christi cognitione. Et propter hoc dixit. Si non uenisset et locutus essem eis, peccatum non haberent. Nunc autem occasionem non habent

Commented [ND34]: uel ecce add. super lin.

Commented [ND35]: uel ecce add. super lin.

Commented [ND36]: [fol.129vb]

Commented [ND37]: uel defendet add. super lin.

Commented [ND38]: iudicatio add. super lin.

Commented [ND39]: [fol.130ra]

Commented [ND40]: sensu add. super lin.

Commented [ND41]: aduentum add. super lin.

Commented [ND42]: uel licebat add. super lin.

de peccato eorum. Ita et in urbanitate. Tunc quidem occasio perdit solum eum qui operatus est, nunc autem et irasci et tunc quidem adulterare et misceri alienae uxori penam ferebat, nunc autem et incontinentibus uidere oculis. Sicut enim cognitio, ita et urbanitas intensa est nunc, quare in nullo opus erat percursore illic, sed aliter, si post mortem infideles credentes essent saluandi, nullus peribit ab quando. Omnes enim penitebit tunc et adorabunt. Et quoniam hoc est uerum, audi paulum dicentem quoniam omnis lingua confitebitur, et omne genu flectetur, caelestium, et terrestrium, et infernorum, et quoniam ultima inimica uacat mors. Sed nulla utilitas est oboedientiae illius. Non enim electionis est bonam mentem habentis, sed ipsarum rerum ut ita dicam iam necessitatis. Ne itaque talia introducamus dogmata uetularum et fabulas iudaicas. Audi ergo quid de his paulus ait. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege et peribunt. De his qui in tempore quod erat legem fuerant disputans. Et quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. De omnibus his qui per moysen fuerunt dicens. Et quoniam reuelatur ira dei de caelo in omnem impietatem et iniusticiam hominum, et furor, et ira, et tribulatio, et cohartatio, in omnem animam hominis operantis malum, et iudei primum et greci, quamuis decemmilium passi sunt, hic greci mala. Et hoc et gentilium hystoriae ostendunt, et scripturae quae sunt apud nos. Quis enim utique enarrabit babyloniorum uel aegyptiorum tragedias? quoniam autem et qui christum non cognouerunt ante carnis presentiam, ab ydolatria autem destiterunt, et deum adorauerunt solum, et urbanitatem perfectam ostenderunt, uniuersis potientur bonis, audi quid ait, gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, iudeo primum et greco. Vides quoniam bonorum retributiones multae his sunt, et penae et supplicia rursus, his qui contraria fecerunt?

Vbi ergo sunt qui gehennam non credunt? Si enim qui ante presentiam christi fuerunt, qui neque nomen gehennae, neque resurrectionis audierunt, qui et hic puniti sunt, et illic dabunt uindictam, quanto magis nos qui tantis nutriti sumus philosophiae sermonibus? Et qualiter rationabile est ait, eos qui nichil de gehenna audierunt in gehenna incidere? Dicent enim quoniam si minatus esses gehennam, magis utique timuissemus, et sobrii facti essemus. Valde nimirum. Non enim sicut nos uiuimus nunc per unumquemque diem audientes de gehenna sermones, et neque uniuersaliter intendentes, sine his autem et illud est dicere, quoniam qui his quae ante oculos sunt, non detinetur penis, multo magis illis non detinebitur. Eos enim qui irrationabiliores et crossius dispositi sunt, quae prae manibus et confestim sunt uentura, magis assueuerunt sobrios facere, quam quae longis postea temporibus sunt futura. Sed nobis ait maior appensus est timor. Et in hoc illi iniusta passi sunt? Nequaquam. Primum enim non idem praeiacent illis et nobis agones, sed multo maiores nobis. Eos autem qui maiores susceperunt labores, maiori oportebat potiri auxilio. Auxilium autem non paruum est auctum esse timorem. Si autem superhabundamus illis in futura sciendo, superhabundant nobis in hoc quia confestim ualde inferuntur penae eis. Sed aliud aliquid, et ad haec dicunt multi. Vbi enim est iusticia ait dei, cum aliquis hic peccans, et hic et illic puniatur? Vultis igitur uos commemorabo uestrorum sermonum, ut non ultra labores nobis prebeatis, sed ex uobis ipsis feratis solutionem? Ego multo nostros homines audiui, si quando didicerint homicidam decollatum in iudicio, tristantes et haec dicentes uerba, triginta homicida inquinatus hic, et sordidus facere audens, aut et multo ampliora, unam solam ipse sustinuit mortem, et ubi est iusticia? quare uosipsi confitemini, quoniam non sufficit mors una in punitionem. Qualiter igitur contraria nunc calculatis? quoniam non alios sed uosipsos iudicatis, tanta prohibitio fit dilectio suiipsius, ad inspiciendum iusticiam. Propter hoc cum alios quidem iudicamus, cum diligentia omni inuestigamus. Cum autem nosipsos discernamus, obtenebramur, quia si et in nobisipsis, sicut et in aliis haec inuestigaremus, inflexibilem sententiam proferremus. Sunt autem et nobis peccata non duo uel tria, sed decemmilibus mortibus digna. Et ut alia

Commented [ND43]: suo add. super lin.

Commented [ND44]: hominis add. super lin.

Commented [ND45]: [fol.130rb]

Commented [ND46]: uel destruitur add. super lin.

Commented [ND47]: uel consilii add. super lin.

Commented [ND48]: hoc add. super lin.

Commented [ND49]: uel angustia add. super lin.

Commented [ND50]: Morale xxxvi. de gehenna. notum in marg.

Commented [ND51]: [fol.130va]

Commented [ND52]: ironia add. super lin.

Commented [ND53]: uiuebant add. super lin.

Commented [ND54]: uel preter haec add. super lin.

Commented [ND55]: uobis add. super lin.

Commented [ND56]: iudicatis add. super lin.

Commented [ND57]: [fol.130vb]

Commented [ND58]: rectam add. super lin.

derelinquam, rememorabo nosipsos, quicumque misteriis participamus indigne. Qui autem tales sunt, rei sunt corporis et sanguinis christi. Quare cum homicidam dicas, et teipsum excogita. Ille enim hominem occidit, tu autem occisionis obnoxius es dominatoris. Et ille quidem non participans misteriis, nos autem sacra fruente mensa. Quid autem qui fratres commedunt et mordent, et multum emittunt uenenum? quid autem qui cibum pauperum auferunt? Si enim qui non porrigit talis est, quantis latronibus inuasores deteriores sunt? quantis homicidis, raptores? quantis sepulcrorum uiolatoribus? quanti autem post expoliationes et sanguinum sunt cupidi? absit ait, nunc dicis absit. Cum inimicum habueris, tunc dic absit, et memora ea quae dicta sunt, et uitam ostende multa plenam diligentia, ut non et nos quae sodomorum sunt, expectent, ut non quae gomorreorum sunt patiamur, ut non quae tyriorum sunt sustineamus, et quae sidoniorum mala. Magis autem ut non christum offendamus, quod uniuersis est difficilium, etsi enim multis gehenna terribilis esse uideatur, sed ego non quiescam continue clamans, quoniam hoc gehenna uniuersa est difficilium et terribilium, et uos ita disponi deprecor, ita enim et a gehenna liberabimur, et gloria quae est a christo potiemur, qua fiat omnes nos frui, gratia, et philanthropia id est amore hominis domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula seculorum amen.

Commented [ND59]: id est christum offendere *add. super lin.*